

mentis in ecclesiam ingrediantur, » ait S. Chrysostom. hom. LII. in Matth. et hom. VI. in II. ad Timoth. *Non libenter oramus, nisi ante laverimus.*

III. Habeat oves eosque duos, fervorem et perseverantiam. Fervorem incitat Dominus, cum ait: *Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.* Petite voce et clamore, quærite oculis, levando eos ad cælum, pulsate manibus, eas elevando ad cælestia dona excipienda, sicut pauperes orare præ foribus solent: orant, cantilenam canunt, clamant, pulsant, saccum explicant. « Pauperes, inquit S. Petrus Damiani, serm. de Spiritu sancto cum ad altiora degentibus aliquid accipere gestiunt, ora ad altiora sacculorum laxant: et sic ad accipiendum parati, quibus prævalent vocibus clamant, ut dum sic paratus quisque per specular domus aspicitur, facile misericordiam consequatur. Cujus profecto sacculi sinum, indubitanter expandimus, si perfecti amoris incendio donis cælestibus inhiamus: » additque exemplum Davidis, cordis sui saccum ita explicantis, Ps. XXXVI. *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi:* et paulo post expendens saccum: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo et psallam dicam.* Imo vult etiam canere fidibus: *Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara.* Illustris est visio S. Hermani canonici Præmonst. Steivelden, qui sub cantico *benedictus* vidit duos angelos, qui utrinque fratres in choro cantantes incensabant; et quosdam quidem multa hilaritate et reverentia, qui nimirum corde et voce ferventer cantabant: alios neglectim præteribant, qui scilicet vel non canerent, vel non adverterent, quid canerent: ab aliis cum horrore resiliunt, qui videlicet indigna mente agitabant, apud Sur. 7. april.

Secundo, alter pes perseverantia est, quam præcipue urget, et commendat Dominus nobis in hoc evangelio; uti et Ecclesiasticus, c. XVII. *Sta in sorte propositionis et orationis altissimi Dei, quod maxima distantia est hinc ad cælum, diu igitur, stare ante fores cæli debes, donec responsum accipias.* In cameris regum et imp. non statim expediuntur causæ, sed expectandum donec sors cujusque exeat ac responsum. Idem requirere videtur Ecclesiasticus in camera aulæ cælestis. Quamdiu miseri homines expectant causæ suæ expeditionem, corporis salutem aut eleemosynam! Sane æger ille ad piscinam suam per triginta octo annos expectavit suam salutem, instantem suam experiendo sortem, quoties aqua movebatur, tametsi videret semper se ab aliis præveniri, qui magis attentis, magis fortes, vel ab aliis adjuti erant; nec tamen despondit animum, donec tandem spe sua

gavisus et a Christo sanatus est. Quod exemplum proponens Chrysostomus, hom. XXXV. in Joan. inquit: « Pudeat nos et incredibilem concordiam nostram deploremus: triginta octo annos ille expectaverat continuos, nec ejus impletum est desiderium, nec id culpa aut negligentia ejus factum est; nec propterea desperavit, nos autem si vel decem dies orationibus invigilantes non exaudimur, jam tepescimus. » Sed quid de Dalila, quæ ut aurum sibi promissum venaretur, quid non laboris et machinarum adhibuit ut secretum explicaretur a conjuge? Ter enim delusa a Samsone non destitit tamen ei per multos dies tamdiu molesta esse, donec impetraret quod petierat, et hoc auri tanto promissi gratia. Quid non tentandum, non sustinendum, ut cælestes impetremus a Deo gratias.

Ergo si volumus legationem nostram admitti in conspectum Dei, demus operam, ut suis numeris constet. Erit alioquin Cato, erit acerbus ille censor et irrisor dæmon, qui deridebit eam, velut omni ex parte miseram, destitutam capite et corde carentem et pedibus truncatam.

CONCIO III.

ORATIO DOMINICA DELET SEPTEM PECCATA CAPITALIA.

I. Delet superbiam prima petitio. — II. Secunda avaritiam. — III. Tertia acediam. — IV. Quarta gulam. — V. Quinta invidiam. — VI. Sexta iram. — VII. Septima luxuriam.

THEMA.

Sic vos orabit: Pater noster. Matth. XVI.

Videmus hoc tempore arbores sensim explicare fructus suos, eorumque spe nos quidem recreare, nondum tamen maturos dare. Deprehendi ego arborem admodum salutarem, quæ non modicam spem fructuum nobis promittit, imo fructus jam maturos quos hodie decerpere et condere possumus, præbet. Quænam vero illa? Scribit Ovetanus, lib. IX. hist. c. V. in Hispaniola insula arborem esse, cui nomen est *Pater noster*. Gignit ea fructus, quanta est avellana nux, cui si fervens aqua superponatur, observaturque in linteum aut laneum pannum, maculas extergit ac quascumque labes. Quod in labes corporis arbor ista potest, hoc in labes animi potest oratio Dominica, seu *Pater noster*, si tamen fervens aqua devotionis ad illam accedat. Septem capitales animi labes videmus, totidem antidotis ex oratione illa desumptis maculas has tergemus.

I. Fœdissima macula est superbia; quia hominem fœdum Deo et hominibus odibilem

reddit, Ecclesiastico teste, cap. X. *Odibilis est coram Deo et hominibus superbia, quæ Luciferum ex pulcherrimo angelo reddidit fœdissimum.* Unde Isa. cap. XIV. de eo dicitur: *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cudaver tuum.* En ex speciosissimo angelo tetrum cadaver fecit superbia. Hinc eam appellamus *fœtidam*. Jactatores superbos appellamus *oculos*, qui suum tantum nomen decantant. Constantinus M. Trajanum imper. quod quibuscumque operibus a se structis suum affixisset nomen, *herbam parietariam* appellabat; ipse suum quantiscumque a se editis nunquam addebat, Baron. anno 324. Ridet quidam (Serarius, in Judic. cap. XIII.) visum a se nomen quæstoris, et una murarii fabri in murolo quodam novo uncialibus litteris effectum verbi gratia: *Anno tali hic Schultetus jussit extrui hanc maceriam: struxit hic murarius.* Denique, tam fœda est superbia, ut nisi palliata specie humilitatis prodire non audeat. Huic labi extergendæ qui melius adhibeamus quam primam illius Dominicæ orationis sententiam: *Sanctificetur (o Deus) nomen tuum? Quid enim habes quod (a Deo) non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti,* ait apost. 1. Corint. IV. *Quis alienis inolecit vestibibus? Sanctificetur ergo nomen tuum: Pater noster qui es in cælis: quia ex te uno omnia fiunt.* Angelus qui apparuit Manue patri Samsonis, rogatus ut ederet nomen suum, quo honorari posset, renuit edicere: *Cur quæris nomen meum, quod est admirabile? Si vis holocaustum facere, offer illud Domino,* Judic. XIII. Memorabile est etiam quod refert Gretser. de s. cruce, l. II. c. LXIV. ex Joan. Linturio, anno 1505. Pilsnæ in Bohemia contigisse. Cum mulier simplex transiens imaginem crucifixi pendentis inter duas alias cruces latronum ligneas, reverentiam ex errore non Christo, sed latroni dextro seu converso exhibuisset: ille magno fragore se unaque crucem suam flexit et convertit ad Christum, mansitque eo situ postea semper. Quid vero aliud sibi voluit nisi hoc: Non meum, Domine, non meum, sed sanctificetur nomen tuum? A te habeo paradysum, et gloriam; non a me.

II. Fœda etiam labes avaritia est, quæ infamen reddit hominem, adeo ut avari appellentur *sordidi* et avaritia *sordes*. quia terram vorant, unde bufonibus comparantur: pro vili lucello litigant et nescio quæ faciunt ac patiuntur. Hinc omnibus exosi et labula sunt, sicut bufones avidus aliis, quia noctu eas prædantur, quæ ratione et avari occulte et privatas artes deprædantur homines. Hinc possessiones illorum, *prædæ* appellantur. Unde Frideric. imp. videns opes maximas Cosmæ Medici ex mercatura cor-

rasas; *Quæ convicia et quas contumelias putatis hunc perpessum,* ait, *donec ita ditaretur?* Æn. Sylvius, de dictis Alph.

Labem hanc absterget secunda orationis Dominicæ petitio: *Adveniat regnum tuum.* Quod enim est in mundo, quod satiare potest? Regnum habuit Achab et quædam opulentum, nec tamen eo contentus esse poterat, donec vineam pauperis Naboth domui suæ vicinam obtineret: cumque ea ipsi negetur, incidit in lectum, quasi ægrotans: *Da mihi vineam tuam,* inquit, quasi mendicans a paupere, ut advertit Sanct. Ambros. lib. de Naboth. Unde Diogenes eos, qui immensas opes cumularent appellabat *magnificos mendicos*. Eliminare igitur, imo satiare avaritiam nostram volumus? Cogitemus et dicamus: *Adveniat regnum tuum, Pater cælestis.* Illud regnum est, quo omnes satiabimur, ut dixit David, Psalm. XVI. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

III. Turpis macula est acedia, quæ hominem ter indignum et omnibus onerosum reddit; ita ut tales appellemus *terræ pondera, ignavos canes, asinos fucos, etc.* Et servum illum pigrum, qui talentum suum defodit, hoc convicio Dominus increpat: *Serve male et piger.* Avis nomine asterias mansuescit in Ægypto et eatenus humanam vocem intelligit, ut si quis huic convicium faciens appellet *servum*, ex ea contumelia irascatur: si quis vocet *pigrum*, ea dolenter tamquam ignobilitatis et signitiei redarguta indignetur, Apollonius, apud Caussin. lib. VI. At multo turpius est homini appellari pigrum: *Homo enim nascitur ad laborandum et avis ad volatum,* ait Elephaz. Job., c. V. Ut avibus penæ ad volatum, sic homini manus ad laborandum datæ. Turpe est instrumentum artis toto die circumferre, v. g. calamus supra aurem et nihil unquam scribere.

Huic maculæ tergendæ serviet tertia petitio: *Fiat voluntas tua, Pater cælestis.* Hujus enim voluntas est, ut quotquot filii Adæ sumus, omnes laboremus. Ipse etiam posuit parentem nostrum in paradysum ut operaretur et custodiret illum. Tametsi enim paradysus per se omnis generis frugibus plenus, earumque fertilis esset, debebat tamen nihilominus Adam ejusque filii sibi in eo laborandi occasiones quærere, servareque hortum illum, ut nihil damni acciperet. Multo magis id ei necessarium erat, postquam in exilium et sterilem terram ejectus fuit; quando ei in penam novum insuper laborandi præceptum datum est: *Meledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ea ea curatis diebus: et rursus: In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Qui ergo nobis manus et vires necnon præceptum ad laborandum, dedit, reposeat aliquando in judicio labores nostros. Certe sa. A. 1. 1. 1.

Epictetus et Astion sub Diocletiano pro fide torti eluserunt omnes penas et superarunt dicendo: *Fiat voluntas Dei in nobis*. Quod demirans primo Vigilantius iudicii assessor, deinde in se expertus, et ipse Christianum se professus ea voce tormenta vicit et martyrii palmam meruit, Rosweid. l. 1. vit. pp. sic excitet se piger: cogitet per unum Dei verbum et mandatum fieri voluntatem ejus in cœlo et in terra. Cur cœli tam regulariter nobis rotantur? Quia Deus mandavit. Cur mare non excedit terminos suos? Quia Deus mandavit. Cur aves nobis canunt, pisces tacent, etc.? Quia Deus ita jussit.

IV. Gula et ebrietas grandis macula est, quæ hominem plane in brutum convertit, unde tales appellamus *porcos ebrios*. *Quid autem fœdus*, ait Mussonius, l. de victu, *quam ut homo bruti animalis imago sit*. Quare Lacedæmonii nullum efficiacius medium ad avertendos ab ebrietate filios suos fere arbitrati sunt, quam si servos suos inebriatos eorumque fœdas ac brutas insanias spectandas eis exhiberent.

Verum presentius hujus maculæ tergendæ remedium erit quarta illa petitio: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: per panem intelligit cibum et potum, passim obvium, et minime delicatum aut exquisitum. Unde ad majorem explanationem addit *quotidianum*, h. e. vulgarem, obvium, non festivum aut exquisitum. Hic fuit pabulum primorum parentum eorumque posterorum fere ad diluvium usque, ubi tamen homines diutissime vivebant et sanissimi erant, usque ad 900. annos. Unde Ecclesiast. c. XXIX. ait: *Initium vitæ hominis aqua et panis*. Quod Rabanus episcopus Mogunt. explicat de victu primorum parentum et omnium eorum, qui ante diluvium vixerunt, quod ferme pomis arborum et oleribus vescerentur, iisque contenti viverent, licet carnibus etiam, qui volebant, vesci possent; quod tamen sanctiores non fecerunt. Postea cum ob diluvium et salsedinem maris terræ vis et fecunditas debilitata fuit, et hominum laboribus tota terra excoli cœpit, concessus est omnibus promiscue carniæ esus, Genes. IX. ita tamen ut iis moderate vescerentur, non secus ac oleribus et herbis. Ita enim loquitur ibi Deus: *Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentium tradidi vobis omnia*, q. d. comedant carnes, sed quasi olera ad voluptatem et necessitatem, non ad voluptatem et ingluviem. Quis enim oleribus se ingurgitat aut distendit ventrem: *Utantur carne tanquam oleribus*, ait S. Ambros. lib. de Noe, cap. XXXIX. *non ad distentionem nec ad ruinam corporis*. Rursum *initium*, h. e. c. p. ut summa cœtus humani est aqua et panis, id est, victus facilis et obvius. Sufficiat homini ut vitam cibo quali-

cumque sustentet: lautitias non quærat. Videat jam qui plus ad se rapit, quam a Deo postulat, quomodo de hoc respondeat, nonne rapinam facit? Rogatus aliquando Diogenes *obscenium* comedens a quodam, ut liceret participare esse, concessit. At cum is avidius voraret *Panem recipem esse dixi, non devorare*, ait. Idem responsum accipiet a Deo qui petens panem, immoderate se ingurgitat. *Panem dixi, pete, eumque quotidianum*: non cupedias, non luxum, nec ingluviem.

V. Invidia et ipsa gravis macula est, quæ non animum tantum, sed et vultum livore deformat. Hinc ad Cainum fratri invidentem Dominus: *Cur concidis facies tua?* Quare oculos a fratre avertis et in terram aspicias atque contabescis? Unde a Sancto Cypriano, ser. de zelo et livore *tinea et rubigo animæ* appellatur, quia clam eam depascit: a Sapiente vero, Prov. XIV. *Putredo ossium invidia*. Appellatur et *canis*. Certe ægre confitentur homines se invidere aliis, adeo turpe est hoc vitium.

Remedium est quinta petitio: *Dimitte nobis, debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Vis tibi lucere solem? Patere ut et alteri luceat. Per amorem proximi potes facere tuum, quidquid boni proximus habet: per invidiam perdis in teipso, quidquid alteri invides; unde docet Sanct. Augustinus, hom. XV. in lib. L. homil. *Congraude illi, cui Deus gratiam aliquam donavit, tua est, etc.* E contra claudere vis alteri januam ad Deum? Tibi claudes. Expertus est Macedonius magister officiorum Gratiani imp. qui cum aliquando Sancto Ambrosio quidpiam ab imperatore petiituro palatii foras ocluderet, audiit ab eo: *Et tu quidem venies ad Ecclesiam quam nec clausas quidem januas inveniens non ingredieris*. Factum ut prædictum. Post mortem Gratiani, reus actus ad ecclesiam confugit, nec tamen eam ingredi potuit, licet janua pateret, Paulinus, in vita Ambrosii. Sic qui per invidiam alteri januam cœli claudit, sibi claudit: contra qui amorem reserat alteri, sibi reserat.

VI. Fœda etiam labes ira est, quæ hominem in furiam et quasi in ipsum dæmonem commutat, adeo ut Plut. lib. de cohib. ira, suadeat iratos adducendos esse ad speculum, ut seipso contueantur; sic enim fore ut ab ira abhorreant. Et Seneca, libro II. de ira, cap. XXXVI. assertit multis iratis profuisse, aspexisse se in speculo, ne in posterum irascerentur.

Quæ ergo huic fœditati spongia? Sexta petitio: *Et ne nos inducas in tentationem*. Cogit iracunde, tentari a dæmone et ad iram seculari, ac velut equum calcaribus adigi, ut in hostium gladios incurras, uti vidit aliquando Sanctus Martinus suum Bricium incitari contra se a dæmonibus ei acclamantibus: *Eia te Brici, eia*

te Brici: objurga Martinum, conviciare Martinum. Quod ubi post a Martino intellexit, erubuit simul ac doluit. Ne igitur audeas tentantem et instigantem te diabolum, dic Patri cœlesti: *Et ne nos inducas in tentationem*. Sic egit David, quando d. chenso in spelunca Saul, hoste suo capitali, stimulatus a servis suis ut eum tunc occideret, et continuit se, et oram duntaxat chlamydis ei abscedit, 1. Reg. XXIV. dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, christo Domini*. Sic Alphonso rex Aragoniæ, cum Pirertum pincernam suam pervicacem, qui jussus dare poculum generoso adolescenti, renuebatur, pugione stricto insequeretur, fugientem assecutus, ne jam prehensum iratus ferret, pugionem in ipsa ira abiecit; quasi recolens illud: *Et ne nos inducas in tentationem*, Panorm. lib. de gestis ejus, cap. XI.

VII. Turpissima omnium labes est luxuria, adeo ut apostolus ad Eph. IV. eam nec nominari in nobis velit: *Fornicatio et immunditia nec nominetur in vobis*. Propterea etiam D. Lucas Magdalenam non meretricem sed peccatricem appellare voluit. Consentimus et nos Germani, qui hoc vitium suo nomine, non nisi quando exagrandum est ad pudorem, nominamus, sed modeste circumscribimus per vocem: *Et cætera*, et similes: lupanaria, vocamus: ædes mulierum, et huc spectat ultima petitio: *Sed libera nos a malo*. A quo malo? Quod appellare nefas, a malo impudicitiae. Cogita ergo imprimis gravitatem hujus peccati, quod nec ore proferre decet. Deinde insta orationibus, ut si eo correptus es, ab eodem libereris. Quid enim agit, qui ferreo vinculo constrictus est, nisi ut alicujus opem liberatoris invocet? Ferreum vinculum est luxuria, Deus ergo invocandus, vinculi hujus disruptor est. Sensit hoc David admissio adulterio per novem menses in peccato hærens, unde clamat: *Libera me de sanguinibus, de quibus? Non audet pronuntiare commixtionem sanguinis sui cum adultera*. Sensit Augustinus, qui hoc peccato velut ferrea catena, ut dicebat, implexus orabat: *Continentiam jubes, da quod jubes et jube quod vis*. Salomon, Sap. VIII. dicens: *Ut scivi quod aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adii Dominum et deprecatus sum illum*.

Ergo o benignissime et suavissime Pater noster qui es in cœlis, da nobis ut intelligamus quam fœda macula sit superbia, ac proinde ut nomen nostrum nunquam celebrare velimus, sed sanctificetur nomen tuum. Da ut agnoscamus avaritiæ turpitudinem, et regnorum hujus mundi miseriam et accipiam, et adveniat regnum tuum. Da ut agnoscamus acedie foetorem, et ut in nobis ac per nos fiat voluntas tua sicut in cœlo et in

terra. Da ut agnoscamus fœditatem gulæ, et ut vivere tibi possimus, tantum panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Da ut perspiciamus maculam invidiæ, et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Da ut agnoscamus turpitudinem iræ, et ne nos inducas in tentationem. Da ut intelligamus labem luxuriæ, et libera nos a malo.

CONCIO IV.

TRIBULATIO AMICUS COMPELLENS AD DEUM.

I. Non tam beneficia quam flagella peccatorem emendant. — II. Pro hoc amico petendi tres panes.

THEMA.

Amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum. Luc. XI.

Non difficile intelligimus quis sit ille amicus, a quo petuntur tres panes: magnus scilicet amicus ille noster Christus. Nam: *Quis amicio nobis, quam qui pro nobis corpus suum tradidit?* ut in hodiernum evangelium Sanctus Ambrosius. Sed quis alter ille amicus, qui de via ad amicum venit? S. Augustinus, serm. XXIX. de verbis Domini indicat esse quamcumque necessitatem, crucem, tribulationem. Sed qua ratione, inquiet, crux, morbus, fames, inopia, inimicus, calumniator, conjux importunus, vicinus malus, hostis, etc. amicus appelletur? Certe hic viator de nocte venit, amicum de somno excitat, vult habere quod comedat, multum incommodi secum affert, et tamen amicus appellatur, et revera erat; quia sicut hic hospes amicum suum impulit ut ad divitem amicum pergeret et ambobus annonam sufficientem pararet, quod alias non fecisset: ita tribulatio hominem e quiete quidem evocat, sed ad Deum dirigit, ut meliora bona ab eo accipiat: non secus atque angeli, qui eduxerunt Loth e Sodomis, ingrati quoad hoc quidem imprimis fuerunt; sed postea gratissimi facti sunt, quando eorum impulsu effugit incendium et servavit vitam. Quia vero pauci adhuc capiunt hoc verbum, ideo latius explicandum erit.

I. Duo maxime funes sunt, quibus trahit a se Deus homines, timor et amor, seu beneficia et flagella. Ita enim Ose. XI. ait: *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis*. Funiculi sunt flagella, vincula charitatis sunt beneficia. Adamum post lapsum ad Deum esse tracturum testatur Sapiens, cap. X. *Educat illum de loco suo, sed quibus funibus?* Non sane beneficiis; per hæc enim potius elongatus fuit a Deo. Habuit omnium rerum abundantiam in paradiso: nonne igitur, dicit aliquis debebat amare Deum? Sed

contra egit. Itaque funes maleficorum adhibendi fuerunt, quia aurea charitatis vincula rupit: condemnandus erat ad labores et sudores, ejicendus in *xxv. v.* vestiendus pelle hispida: occidenda coram eo pecora, sicque instans ei mors præ oculis ponenda, quo intelligeret, se simili modo aliquando cadaver futurum. Sic ergo factum ut rediret ad Deum per pœnitentiam in exilio; qui ab eo fugerat in paradiso. Quod contigit primo parenti, hoc contingit ejus filiis. Mallet quidem Deus vinculis charitatis trahere nos ad se, ideoque ordinarie primum illa adhibet; sed quia plerumque pejores inde evadimus, ideoque flagellum arripit. Hoc Isa. c. XXVI. petit a Deo in populum Hebræum quia beneficiis non moveretur: *Misereamur impio*, inquit, *et non discet justitiam*: et rursus: *Domine dabis pacem nobis*. Sed mox experientia quasi edoctus, eos inde pejores factos, subdit: *Indulsisti genti Domine, indulsisti genti, numquid glorificatus es? Elongasti (a te) omnes terminos terræ*.

Petet hoc in libris. Judicum et Regum passim, uti Hebræi post longam pacem et ubertatem frugum, pejores evaserunt, ad idola cucurrerunt: quod tamen in Ægypto sub flagello Pharaonis, et postea in captivitate Babylonica minime fecerunt. Sunt in regno Mogor valetudinaria avium, morbo affectarum. Ad unum delatus fuit læsus accipiter, ibi ut sanaretur: qui dum æger fuit, quietus et innocens fuit: at ubi sanatus est, cepit mox vexare aves alias, pungere et occidere. Hinc querelæ contra ipsum: ideoque a præfecto exturbari jussus est, ut scribit P. Emmanuel Pinner. in relat. Ind. p. Haio. Sic nimirum contingit plerisque hominibus: humiles et quieti sunt, dum flagellantur: insolescunt et turbulenti fiunt, si flagella ab iis amoveantur, paupertas, morbus, carcer. Talis accipiter erat Wenceslaus VI. imp. rex Bohemiæ, qui ob profligatos mores a senatu Pragæ in carcerem communem conjectus adeo misere habitus fuit, ut vermiculis et sordibus scateret; ubi quidem didicit Deum timere. Interrogatus enim in carcere, qui valeret: « Nunquam melius, ait: cum enim omnibus humanis præsidii vallatus essem, vix de Deo cogitandi spatium habui: nunc illis omnibus exutus, solum Deum cogito, et in eo spem meam omnem colloco. » *Æn. Sylv. in hist. Bohem.* Bene est, sed quid actum? Post semestre carceris in publicum balneum ductus beneficio navicellæ evasit, cumque ad pristinum ingenium redisset, a fratre Sigismundo iterum captus et duci Austriæ Viennam incarcerandus mittitur. Inde iterum elapsus, pejor evasit et Hussitas fovit, pincernam denique, qui contra eos verbum protulerat, in terram prosterni et pugione conatur interficere, sed dum impeditur

in paralytin incidit, ex qua misere tandem velut bestia ab omnibus derelictus periit *ex ira* paralyticus. Ita ergo qui in tribulatione positus a Deo cogitare cœpit, ereptus ex eadem, iterum Dei oblitus est: *Indulsisti genti Domine, indulsisti, numquid glorificatus es?* Idem communiter experimur in aliis, qui ob flagitia victi, libertati restituuntur, vel etiam ex periculoso morbo rursus convalescunt, quod rebus prospere succedentibus redeant ad ingenium. Quid igitur Deus? Quando vincula charitatis nil proficiunt, corripit, flagellat, funes et vincula, quibus perduelles capiat et coerceat. Alibi insinuavimus apologum Cyri regis Persarum, Ionibus recensitum, de tibiçine, qui cum alliciendis piscibus frustra cecinisset, tandem sagena in mare expensa, reluctantes ad se traxit, apud Herodot. lib. 1. Non aliter agit Deus. Cum enim suavi beneficiorum et blanditiarum cantilena non allici videt homines ad obsequium suum; quid agit? Sagenam suam expandit, et per flagella eos ad se trahit. Ita sub duo Philippis imp. christianis disciplinam et mores pax longa corruerat, ut scribit Sanctus Cyprianus, serm. de lapsis. Unde alicui ostensum refert ep. VIII. quomodo ad pristinum fervorem revocati sint. « Illud ostensum est, ait, quod sederet pater familiæ, sedente sibi ad dextram juvene, qui, juvenis anxius et cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu tenens, mœsto vultu sedebat: alias vero in sinistra parte consistens rete portabat, quod se mittere ut circumstantem populum caperet, minabatur. Et cum miraretur, quid hoc esset ille qui vidit, dictum est ei: Juvenem qui ad dexteram sedet, constriari et dolere quod præcepta sua non servarentur, illum vero in sinistra parte exultare, quod sibi daretur occasio, ut a patrefamilias acciperet potestatem sæviendi. Et videmus impletum, quod fuerat ostensum. Et hoc nobis per visionem exprobratum sciatis, quod dormitemus in precibus, nec vigilanter oremus. » Hoc de Decii persecutione immanissima, quæ mox subsequuta Christianos ventilavit et a somno excitavit.

Numquid non talis piscis fuit Jonas? Hic fugiens a Deo, comprehensus est in mari per immanem tempestatem et injectus in os piscis, ibi didicit orare et reverti ad Deum, quando in ventre ceti aquis indique cinctus, tantum non suffocabatur et vix respirare poterat, uti indicat in oratione: *Circumdederunt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum*. Ibi recordatur Dei et vovet iterum se ad templum Jerosolymitanum Deoque immolaturum, Jon. II. Bene consonat nomen Jonæ cum columba, quam significat. Ut enim columba ex arca demissa, quia non reperit ubi quiesceret, aquis orbem

undique inundantibus, rediit ad suum Noen, et libenter passa est se apprehendi et in arcam trahi, sic Jonas fugitivus ubi se omni ope destitutum vidit, reversus est ad Deum suum. De Roberto Gallorum rege sic scribit B. Petrus Damiani cardin. qui obiit anno 1080. lib. [V. epist. XV. ep. ad Desiderium cardin. « Robertus Gallorum rex, avus istius Philippi, qui in paterni juris sceptris successit, propinquam sibi copulavit uxorem, ex qua suscepit filium, anserinum per omnia collum et caput habentem. Quos etiam, virum scilicet et uxorem omnes fere Galliarum episcopi communi scilicet excommunicare sententia. Cujus sacerdotalis edicti tantus undique populum terror invasit, ut ab ejus universi societate recederent, nec præter duos sibi servos ad necessarii sibi victus obsequium remanerent, qui tamen et ipsi omnia vasa, in quibus rex edebat vel bibebat, percepto cibo abominabilia judicantes, pabulum ignibus exhibebant. His tandem rex coarctatus angustiis ad sanum consilium rediens, divertit incestum, iniitque legale connubium. »

Atque ut ex Indiis etiam aliquid audiamus, in ora Piscaria belli quidam casus extitit. In prætereuntem quemdam gentilem una ex crucibus statutis in publico ventis imbribusque labefacta sorte incidit et vulnus infixit. Ille divinitus ea plaga admonitus se, ut fieret Christianus, interpretans, continuo vovit, si convalesceret, laturum cereum ad ædem sacram et baptismum subiturum. Quod utrumque mox voti damnatus cum fide præstitit, Sachin. tom. II. anal. societ. lib. VIII. n. CLXXVIII. Cogitare quis quam poterat et haud dubie cogitarunt aliqui, maximum hoc fuisse homini infortunium, imo Dei vindictam a trabe crucis ad terram affigi: quo modo Melitenses senserunt de Sancto Paulo, a vipera admorso, quod vindicta Dei quasi magni sceleris reum ageret, et vivere non sineret, Act. ult. verum casus ille salutem attulit homini, ut hac virga castigatus ad fidem disponeretur ac salutem.

II. Quando igitur crux et tribulatio nequaquam inimicus, sed amicus noster est, quid agendum nobis est, quando hic hospes ad nos divertit? Num expellendus est? Minime gentium: sed eundem nobis etiam media tribulationis nocte ad magnum illum amicum nostrum, Christum, et petendi ab eo tres panes, quos illi apponamus.

Primus est lumen, quo cognoscamus tribulationes nobis a Deo immisas. Hoc nobis satis esse debet, multumque solatii afferre. Quis enim alicuius per fenestram forte prospiciens, si manu regis a tergo percipiatur, indignabitur, ubi cognoverit regem id fecisse? Imo quis non sibi gratulabitur? Signum benevolentiae est, cum in

sæculo isto Deus nos castigat; quia hoc ipso ostendit se curam nostri habere, ut ad sanam mentem nos revocet. Itaque postulemus lumen, quo intelligamus practice non speculative solum, tribulationes non esse lapides, sed panes potius a Deo in nos projectos. Quis autem canis latrat, cum pingui osse petitur.

Secundus est mentis hilaritas, qua ferientem Dei manum patienter excipiamus. Ita monuit virum nobilissimum B. Petrus Damiani card. ep. lib. VIII. ep. VI. « Charissime et dulcissime frater, inquit, dum verberibus cingeris, dum cœlestis disciplinæ tusionibus castigaris, non mentem desperatio deprimat, non querela murmurationis erumpat, non tristitiæ mœror absorbeat, non impatientem pusillanimitas reddat, sed semper serenitas in vultu, hilaritas in mente, gratiarum actio resultet in ore. Laudanda quippe divina est dispensatio, quæ ad hoc suos temporaliter verberat, ut perpetuis eos flagellis abscondat; ad hoc premit ut elevet; ad hoc secat, ut sanet; ad hoc dejicit, ut exaltet. Qui enim bona agit, et mala suscipit, quidquid sibi justæ retributionis in terra subtrahitur, hoc in cœlo illi multipliciter cumulatur. Porro autem medici corporum, quos desperant, ad percipienda passim, quæque petierint, alimenta relaxant: et quos erigendos esse conjiciunt, cuncta eis noxiæ delectationis edulia minaciter interdiciunt: antidota insuper et amara propinant; ut per amaritudinis haustum ad incolumitatis dulcedinem convalescant. Quid ergo mirum si medicus animarum omnipotens Deus et quos ad vitam eligit, sub districta severitatis suæ lege constringat? Nam et animalia, quæ in proximo mactanda disponimus, indulgentius vicitare permittimus, et largiora illis alimenta præbemus; eorum vero penuriam, et maciem parvi pendimus, quos ad usum seminis, et ad propagandam sobolem reservamus. Vites quoque fœcundæ arbores putationibus subjacent; steriles autem, et quæ ignibus sunt tradendæ, ramis evagantibus, quo liberius, eo diffusius patent. Nodi itaque hujus vitæ felicitatem pravus hominibus invidere, sed condole: imo quia ipsi non dolent, potius ingemisce. Qui nimirum velut bruta animalia ad macellum edendo properant, ad gladium lascivendo festinant. De tuis autem pressuris atque molestiis gaude, et totis in Domino visceribus gratulare, quia qui nunc, ut ita fatear, pœnarum inanum levitate deprimeris remunerandus postmodum, pretiosi auri pondera reportabis. Tertius est gratiarum actio pro immissa tribulatione, velut pro cœlesti beneficio. Certe si tumore aliquo noxius laboramus, chirurgum vocamus, qui cauterium ustione faciat, ad curandum tumorem; ac licet dolorem nobis infligat,